

16. 9. 11. num. 30. 17
1708, 3 27 G. 33.

DISPUTATIO JURIDICA

De

RESCRIPTISSUM- MI PRINCIPIS AD MA- GISTRATUS INFERIORES,

Von Kaiserlichen Beschl. Schreiben/
vulgò

divina auxiliante ac faveente gratia
rectore hujus universitatis magnificissimo,
reverendissimo et illustrissimo domino,
domino

P. 27.
PHILIPPO WILHELMO,
S.R.I. COMITE de BOINEBURG,

sacra cæsareæ majestatis consiliario intimo &
camerario, nec non metropolitanarum eccl-
siarum, moguntinæ & trevirensis ca-
nonico capitulari seniore,
eminentissimi principis electoris moguntini con-
siliario intimo, ac civitatis territorii que
erfurtensis pro-principe
domino suo gratiosissimo &c.

APPROBANTE MAGNIFICO JCTORUM
Collegio, in Universitate Hierana Electorali

SUB PRÆSIDIO

VIRI CONSULTISSIMI

DN. JOHANNIS HENRICI Meierß/
Regim. Elect. Consil. Profess. Decret. Publ. p. t. Facult. Jurid. Dec.
& Sen. nec non Judicij Elect. Asses.

Publicæ Eruditorum Disquisitioni submittit

Albertus Christophorus Giebel
Norimbergensis, Author & Respondens.

Die 4. Junij 1708. horis confuetis.

KÖNFRIED
UNIVERS.
ZVHALIE

ERFFURTI, Typis Groschianis, Acad. Typogr.

DIE GOTTLICHE LARVATICA

MUSICA LIBERIA
AMORIS HARMONIA
SACRAE MUSICA

ALTAE SIT VITA IN PLEBEIA A FUGA
CANTUS VITAE CANTUS MUSICA

OMNIS MUSICA

ZONAS MUSICA

Egregium Studii specimen das,
Docte Gibeli,
Pulpita dum Themidos non sine
laude subis.
Hoc, precor, egregium studium
compenset Apollo,
Et Tibi Doctorum præmia larga
dicet!
Præmia nam tribuit Mavors insi-
gnia torvus,
Cur non & Phœbus munera
grata ferat?
Hoc ego vaticinor, Phœbus dona-
bit honores,
Atq; Deus, voto pondus adesce,
dabit.

*Hic
Nobil. & præstantiss. hujus Dissertationis Dn. Au-
tori, inter suos Auditores sincerè dilecto be-
nevolum. animum gratulabundus contestari
voluit*

JOH. HENR. Meier / D.
Electoral. Regim. Consil. Prof. Decr. Publ.
Facult. Jur. Sen. & Tribunal. Erfurt. Assess.
Prin-

Principis exquiris Responsum,
Fautor amande,
Summi perdocto judicio ac calamo;
Hinc Tibi Supremus semper respon-
deat, opto,
Princeps, quo valeas commoda
ferre diu.


Φιλοφίλιας χάριν ἐχεδίσας
M. Johannes Georgius Just.

GIBELIUS

LEGIBUS en Themidos semper
Turite vacasti
Id præsens specimen sat probat
atque notat.
I, nunc justa Themis nunquam Ti-
bi ferta negabit,
Hæc cape, namque manent. O-
minor atq; precor!

*Prolixiori animo quam calamo de specimine in-
dustria Tua gratulatur*

Eduardus Horn / LL. Cultor.



μέν πατῶν καὶ προσίπει

TH. I.



Hactenus receptæ methodi limites
non transiliam, sed ejusdem ductum
sequar & attendam, statim
in frontispicio hujus Dissertationis con-
siderare & evolvere debui ac volui: Illa
vero primitus proponit Etymologiam,
Homonymiam & Synonymiam.

TH. II.

Etymologia non difficilis est, & fermè indigna spe-
ciali tractatione, cùm illa satis clara sive in aprico sit.
Rescriptum igitur nomen habet, & proinde derivatur
à vocabulo *Scriptum*, hac enim de causa fiunt vel de-
cernantur *Rescripta*, ut iustitia administretur partibus li-
tigantibus, ac supplicantibus, quippe ut plurimum iis hoc
modò respondetur ac rescribitur à Summo Principe, ceu
ex ipsis rerum documentis nempè ipsamet observantia ac
quotidiano usu Supremorum Judiciorum Cæsareorum
satis superque patet. Nam *Supplicationum terminus*

A 2

atque

atque finis sunt Rescripta, quibus Princeps supplicibus Libellis respondet ac rescribit, unde & nomen sortiuntur. Weseubec. in Comment. ad Cod. de diversi. Rescript. &c. n. i. Quapropter ferè omne Principis Responsum ac Dearetum vel Mandatum in generali significatione vocatur Rescriptum: prout imprimis Stylus diversarum Curiarum arguit & testificatur. Hinc jam notari meretur notabilis ille textus Juris omnino huc reverendus, qui legitur satis aperte in l. licet 23. ff. de usu & usiſfruct. & reddit. &c. per legat. dat. ubi sequentia habentur verba: licet testatori repetere legatum usiſfructus, ut etiam post capitii deminutionem debeatur: & hoc nuper Imperator ad Libellum rescriptit. Ex hac tenus adductis igitur sufficienter elucescit Etymologica origo prædicti vocabuli Rescripti, cuius scrutinium Onomatologicum porrò nunc occurrit.

TH. III.

Homonymia hic in variis significationibus vocabuli Rescripti pariter consistit, quæ, ne errores pariat, peculiariter erit explicanda. Significat verò hoc verbum idem, quod Lex vel Constitutio, nec non Mandatum Pragmatica Sanctio, Privilegium, Dispensatio, Indulgentia, Restitutio, Beneficium sigulare Principis, quæ nil aliud sunt, quam Rescripta Gratia: hæc verò maximoperè differunt à Rescriptis Justitiae, utpote quæ ideò Rescripta ad lites appellantur. Menochius Consil. 100. n. 34. Scopus enim eorundem eò unicè tendit, ut Justitia administretur, & incolumis aut illæsa conservetur, nec non Injustitia præcaveatur: hac duplii enim de causa rescribere re in-

solent Principes Superiorem recognoscentes ab Imperatore investiti & hāc ratione ab Ipso dependentes.

TH. IV.

Progedior ad Synonymiam ordine sic exigente. Sunt verò hīc æquipollentia vocabula idem nempē designitia, sūd autem modō nihilominus dissimilia, nempe: *Comminatio*, *Epistola*, *Programma*, *Subscriptio tot. Tit. C. Commination. Epistol. Programmat. Subscription. authoritatem Rei Judicatæ non habere.* Huc pertinent etiam sequentia idem pariter significantia vocabula: *Lex & Constitutio Principum.* Id quod satis dilucidè patet ex *l. quod Principi. 4. pr. & §. 1. ff. de Constitut. Princip.* ubi expressè dicitur, illud, quod Principi, scilicet Summo vel Imperatori placuit, *legis* habere vigorem & quodcumque Imperator per *Epistolam & Subscriptiōnem* statuit *legem esse*, nec non *Constitutionem* vulgo appellari. Sanè hāc omnia ejusdem vel consimilis significatiōnis esse, nemo dubitare potest.

TH. V.

Fractō cortice, erit nucleus degustandus; Pergo igitur & devenio jam ad *περιμετρον*, quæ proponit convenienter serie *Definitionem* aut potius *descriptionem Rescripti Summi Principis*: cum illa accurate tradi nequeat, ob varietatem circumstantium essentialium hic occurrentium. Definitur verò ita: *quod sit Responsum à Principe Summo factum sive datum supplicantibus, ut sic vel hōc modō promoveatur Justitia administratio & executio, aut Gratia vel beneficij alicuius fiat concessio.*

TH. VI.

TH. VI.

Genus in definitione constituitur Responsum Principis; Omne enim Principis Responsum in latâ significatio-
ne vocatur Rescriptum. Nam id in primis elucescit ex
clarissimis verbis l. si Libellum i. C. de diversi. Rescript. &c.
Si Libellum de communi causa tu fraterve tuis dedisti;
quamvis Rescriptum ad unitis personam directum sit niri-
que tamen prospectum est. Etenim Scopus primarius sup-
plicationum eo tendit, sive talis est, ut impetretur Re-
scriptum, ut potè quo supplicantibus aut potentibus, de
Jure suo respondeatur, quamvis non semper ad placitum-
corundem, quia multa petuntur, quæ Jure non conce-
duntur, aut aliter quam postulatum fuit, decernuntur.
Sic igitur non omnibus rescribitur juxta petitionis teno-
rem, sed saltem iis, qui iusta petunt; vel quorum desi-
derium Juri ac Justitiæ omnino conforme est, facile erit
assentiendum. Id quod egregie atq; notabiliter comprobant
Imperatores THEODOSIUS & VALENTINIANUS
in l. Rescripta. 7. C. de Precib. Imperat. offerend. &c. quo-
rum hæc sunt verba: Rescripta contra Jus elicita, ab
omnibus Judicibus præcipimus refutari: nisi forte aliquid
est quod non ledat alium, & proficit petenti vel crimen
supplicantibus indulgeat. Eninde quis animadvertit, Re-
scripta dantaxat illis esse imperienda, qui iusta pe-
tunt. Non enim laudabile foret, ut illi, qui ad Clavum
Reipublicæ sedent, aut penes quos est rō vspior, Injusticiæ
patrocinarentur ac nefas foverent aut sustinerent. Digna
enī est, vox Majestate Regnantis, legibus alligatum se
profiteri adeò de autoritate Juris, pendet nostra authori-
tas & reverā majus Imperio est, submittere legibus Princi-
patum.

2

patum. Sunt notabilia verba *l. Digna vox. 4. C. de LL.*
Et Constitut. Quapropter Rescripta, quæ contra Jus
Commune fuerunt impetrata, nullius momenti esse
censentur, nisi talia sint, quæ illis, quibus data sunt,
sive impetrantibus profund & nemini obsunt. Si enim
supplicetur contra Jus Divinum, Naturæ, Gentium, Ci-
vile, aut etiam adversus Jus Statutorum, Locale, nec non
Consuetudinarium, omnino denegandum est petitum
supplicantium tot. Tit. C. si contra Jus vel utilitat. publ. vel
permendac. aliquid fuerit postul. vel impetrat. Nam si ea pacta
privatorum, quæ sunt Juri contraria, planè sunt inva-
lida. arg. l. legitima conventio 6. ff. de pactis: multo magis
rejicienda erunt eorum supplications: Idem quippè vo-
luit & ideireo publicâ lege sancivit CONSTANTINUS,
Imperator in l. nec damnoſa 3. C. de Precib. Imperat. offe-
rend. Et de quib. reb. supplic. liceat vel non. Quamobrem
hæc profert ibidem verba, quæ, ut subiungantur operæ
premium ac convenientissimum est: Nec damnoſa Fisco
nec Juri contraria poſtulari oportet. Sic igitur omnino de-
cer, ut Rescripta Summi Princepis sint Juri ac Justitia ex-
asse conformia. Id quod hastenus erat ostendendum
& luculentē demonstrandum.

TH. VII.

Definitioni & Generis evolutioni subjici debet Di-
ſio; Sant vero Rescripta Summi Principis non uniformia,
sed varia, alia enim sunt *Justitiae*, alia *Gratiae*, alia *Per-
sonalia*, alia *Realia* alia *Authentica* sive originalia, alia
Exempla saltem, alia sunt *veritati conformia*, quibus
distant, quæ *veritati non conveniunt*, vel per falsa narrata à
sup.

supplicantibus impetrata, hæquè sub- & obreptitiè elici-
ta sunt. De quibus, jam occasione sic ferente, plura
huc facientia atquè notabilia adducenda sunt. Etenim,
si per mendacium aliquid fuerit postulatum aut impetra-
tum, id planè inefficax est, & proinde omni desti-
tuitur authoritate. Hinc notabiliter rescripsérunt ac
constituerunt Imperatores in l. Prescriptione 2. C. Si contra
Jus vel utilitat publ. &c. quodd, præscriptione mendacio-
rum, vel exceptione sub- & obreptionis per falsa narrata
impetrantibus oppositâ Rescripta Summi Principis nou-
possint fortiri effectum: Sive in Juris narratione menda-
cium reperiatur, sive in facti, sive in tacendi fraude, pro-
ut expresse sanctitur in alleg. l. Quamobrem tacite sem-
pe iis inesse censetur, sicutque subintelligitur clausula illa,
quatenus preces veritate nitantur. Intentio enim Prin-
cipis Summi nunquam præsumitur talis esse, quod Is
velit decipientibus subvenire, eosque adjuvare, sed po-
tius creditur eundem aliter rescriptisse, si non fuerit hōc
modò circumventus, id quod notabiliter fuit sanctum in
l. Et si legibus s. C. Si contrâ Jus vel utilitat publ. &c. in se-
quentibus verbis: Et si legibus consentaneum sacram Oracu-
lum scil. Rescriptum Cæsareum, mendax precator attulerit,
penitus tamen careat impetratis, & si nimia mentientis in-
venitur improbitas, etiam severitati subjaceat Judicantis.
Hac de causa juxta quotidianam experientiam in Judiciis
sive praxi forensi sepius obviā aduersius Rescriptuētiam
Summi Principis ad petitionem partium vitiōse, modò
jam recensitō, impetrata, exceptiones sub- & obreptionis,
& quidem non minus recte quam rite opponuntur, teste
Gailio L. 2, obj. pract. 58 n. 3. Evidēt omne Rescri-
ptum, quod sub- & obreptitiè nempe per falsi suggestio-
nem

2

nem & veri suppressionem impetratum est , per se &
ipso Jure non valet , cap. super literis & ibi DD. X. de
Rescriptis l. 2. & ibi Bartolus , Baldus , Jason , & DD. C.
Si contra Ius vel utilitat . publ. Schrad. in Consil. 37. n.
106, vol. 2. Falsitas enim narratorum viciat tortum
Rescriptum sic impetratum , utpote quod illis potissi-
mum nititur : id quod adeo verum est , ut neque Res
Judicata , quæ alias instar veritatis irrefragabilis esse
censetur , possit suum sortiri effectum , si tali vitio la-
boret . Judicati enim executio solet suspendi , & solu-
ti dari repetitio , si falsis instrumentis circumventam esse
religionem Judicantis , manifestis probationibus fuerit
ostensum . l. Judicati , 4. C. si ex falsis instrumentis vel
testimoniis judicatum sit . Exinde facile colligitur , Re-
scriptum Summi Principis itidem ac maximopere vel
potiori Jure vitiari , ob falsitatem precum , cum certis-
simi Juris sit , quod hujusmodi Rescripta non obtine-
ant vim Rei Judicatae . l. 2 & L. Programma . C. Comminat .
Epist. &c. Schrad. Consil. 44. num. 61. Vol. 2. in dubio
tamen verum praesumitur Rescriptum , donec falsitas
arguatur . Sic igitur hoc in casu veritas precum , qui-
bus impetratum fuit , omnino probanda est : Pragma-
ticas enim Sanctiones (scil. Rescripta) non ad singulorum
preces super privatis negotiis proferri debent , sed si
quando corpus , aut schola , vel officium , vel curia ,
vel civitas , vel provincia vel quadam universitas
hominum ob causam publicam fuderit preces , manere
decernimus , ut in his etiam (ceu notanter hic adjici-
tur) veritatis questio reservetur l. Universa Rescripta .
7. §. l. C. de diversi. Rescript. &c. Quamobrem in

B

praxi

praxi forenſi valde peccatur ac pernicioſe errator, ſi
ſub prætextu eorum Rescriptorum, quæ tamen per falſa
narrata fuerunt elicita, ſicque falſorum executio de-
cernatur. Id quod autem iniquiſſimum aut plane in-
juſtum eſt, cum talia Rescripta ſint ipſo Jure nulla, &
proinde nullum pariunt effectum: *Nec igitur Magi-
ſtratibus licet, aliquid hoc modo injurioſe facere, per
text. exprefſ. & ſpecialem in l. Nec Magiſtratibus 32. ff.
de Injuriis & famos. Libell.* Quapropter etiam huic
malo remedium Juris prædictum, nempe exceptio ſub-
& obreptionis, ſaluberrimè ac utiliſſimè nec non ef-
ficaciamē adhiberi ſolet.

TH. IIX.

Sequitur jam *Causa Efficiens Rescriptorum Sum-
mi Pincipis*, quæ quidem ex ipla inscriptione hujus
Difſertationis luculenter patet, ſicque innotescit cla-
riſſimè, quod pro ea ſit Summus Princeps, vel Impe-
rator; Hinc Imperatores DIOCLETIANUS & MAXI-
MINIANUS rescriperunt in l. Sancimus. 3. C. de diversis
Rescript. &c. in terminis ferè terminantibus: *Sanci-
mus ut authentica ipſa atque originalia Rescripta &
noſtrâ etiam manu ſubſcripta* (ceu expreſſe ibidem com-
memoratur & ſubjuguntur) *non Exempla eorum inſi-
nuentur.* Sic igitur prætermiſſa Solennitate ſubſcrip-
tionis Imperatoriae Majestatis, Rescripta omni desti-
tuuntur autoritate aut efficaciâ, & propterea talia
vel tam vitioſa inſinuari non debent. Huc accedit il-
lustrationis & confirmationis gratiâ, ceu non leve ar-
gumentum ſummæ authoritatis Rescriptorum singula-
ris

2

rjs, illa vis aut efficacia *legitimationis* liberorum per *Re- scriptum Principis*, quæ plerumque æquipollit legiti- mationi per subsequens matrimonium, prout ex Jure nostro luculenter patet. Hac verò ceu pariter exin- dè notissimum est, omnino supplet defectum justæ na- turitatis, & proinde tollit turpitudinis maculam ex il- licito concubitu contractam. Sic igitur ars imitatur naturam, ceu alias etiam in adoptione fieri solet, utpote quæ itidem naturam imitatur. *S. minorem. 4. Institut. de Adoption.* Quamobrem inter causas patriæ potestatis non immeritè eadem recensetur communiter, itemq; duplii de prædicta legitimatione similia enunciata vel attributa deprædicantur. Cæteroquin tanta est autho- ritas Summi Principis in hujusmodi casibus vel nego- tiis, ut etiam non citatis agnatis vel cognatis legitimatio filiorum naturalium ab Ispo validè aut efficacissimè peragi possit, nempè vel immediate sive mediatè per Comitem Palatinum, & quidem cæteris paribus seu re- stè se habentibus, aut in terminis habilibus, ceu alias dici solet. Hic enim potissimum & necessariò requiri- tur consensus patris, quia in legitimatione filii natu- ralis patris interesse principaliter consideratur, utpo- tè qui est moderator ac arbiter rei suæ, de ea enim so- lus disponere, & proindè ab alieno arbitrio in ejusmo- di causis, in quæstionem sepius vocari solitis, depen- dere nequit. Sic igitur pater consentiendo natalium restitutio vel legitimationi nemini injuriam facit, utpotè quæ tunc imputari nequit, cum aliquis Jure suò utatur. Tanta itaque libertas est hujus actus paterni, quò nimirum is Jus suum jam dicto modo exercet, ut eadem

ceu res favorabilis nullatenus restringi possit. Quapropter pater potest filii naturalis legitimatio adstipulari etiam invitatis agnatis, & quoque iis ignorantibus ac non citatis arg. l. qui potest 174. de R. J. Gail. L. 2. Observ. pract. 142. num. 1. idque potissimum procedit in vera legitimatione non verò dispensatione Principis Summi, etiamsi postea nascantur ex conjugio subsequente filii legitimi & naturales. Gail. L. d. n. E. d. n. 5. Contrarium verò obtinet in prædictis legitimatis per Rescriptum Principis quoad bona Feudalia. Nam illi, qui simpliciter fuerunt legitimati, non censentur ad Feudum esse legitimati, quippe jam dictum Rescriptum Summi Principis, vel Privilegium, talem legitimationem complectens, stricti Juris est, & hac de causa ad ea, de quibus non fuit expressa mentio facta extendi nequit. Hoc igitur disertis verbis in legitimationis Rescripto exprimi debet. Id quod apertissimè colligitur ex c. Naturales filii. Si de Feudo defuncti contentio sit inter dom. & agnat. Vasalli. Lib. 2. F. Tit. 26. ubi hæc habentur verba memorabilia: Naturales filij, licet postea facti legitimi, ad successionem Feudi, nec soli, nec cum aliis admittuntur. Illud autem omnino fieri potest, ut Princeps Summus ex certa scientia, & cum clausula non obstantibus Juribus Feudorum, filium naturalem in præjudicium agnatorum legitimare possit, Gail. L. 2. Observ. Pract. 142. n. 14. Tam latè se diffundit, sicque amplissima & maxima est Principis Summi potestas! Is sanè hac de causa, solus primariò condit Rescripta, & proindè eorundem unica causa Efficiens originalis esse, meritò creditur vel censemur. Hinc maximè autoritate

2

tate insignia sunt, tēu Mandata subjectissimā reverētiā, suscipienda ac veneranda Supremi Judicis vel Domini Secularis sive in his terris ex Gratiā DEI Imperantē extēno & politico Regimine; quamvis ea non sint omni exceptione majora, aut plane irrefragabilia. Dantur enim exceptions sub- & obreptionis ob falsitatem narratorum vel precum, quibus elicta fuerunt talia Rescripta, sed cum de hujusmodi exceptionibus jam supra fuerit actum, transitum facio vel progredior ad alia.

TH. IX.

Pergo jam, post consideratam *Causam Efficientem* concinnō ordine ad *Causam Formalem* Rescriptorum Summi Principis, quæ partim *in extrinsecis* partim *in intrinsecis* requisitis consistit: Ad illa passim referuntur declaratio, intimatio aut potius notificatio Imperativæ sive præceptivæ voluntatis Principis Summi (qui hodiē vocatur Imperator) per scripturam facta, à qua præcipue denominatur, siveque insignitur Rescriptum. Dicta autem Scriptura non sola sufficit hic, sed præter eam requiritur id, ut majoris authoritatis gratiā præmittatur aut præponatur nomen Summi Principis, itemque ut subscribatur ab eodem, & confirmetur acedente convenienti subsignatione per sigillum consuetum Imperatoris, nec non annotatione anni & diei hic pariter opus est. Quoad requisita *intrinseca* vero, jam adducenda sunt varia eaque legalia: scilicet expressio usitatarum clausularum & causa Impulsivæ, de quā jam plura sum propositurus, majoris illustrationis, vel potius

tius demonstrationis causā. Evidēt Rescriptum & senten-
tia ex causa vera sustineri debent. Gai. Lib. i Observ. præct.
66. n. II. Ut autem veritas causæ Impulsivæ innoteat,
expressio ejusdem omnino fieri debet. Id quod eō
magis necessarium est, quod minus negari potest, illa
omissa suspectum reddi Rescriptum. Sicquē subreptionis
vel obreptionis argui posse. Quamobrem & olim
solemne fuit talem inferere conditionem Rescriptis: Si
preces veritate nitantur. Hucquē respexerunt Impera-
tores l. Universa 7. C. de divers. Rescript. &c. Sic ex-
presse ac publice præcipientes: Universa Rescripta,
sive in personam precantium, sive ad quemlibet Judicem
manaverint, quamvis adnotatio, vel pragmatica san-
ctio nominetur: sub ea conditione proferre præcipimus,
si preces veritate nitantur, nec aliquem fructum predicator
Oraculi (puta talis Rescripti) percipiat impetrati, nisi
questio fidei precum Imperiali beneficio monstretur inserta.
Quæ Juris sanctio aliquatenus hodiernā consuetudine
mutata esse videtur, juxta quam non præcise necessa-
rium est, ut semper hujusmodi conditio exprimatur,
quin ea tacite subintelligatur c. sedes c. si quando de
Rescriptis. l. Et si legibus C. Si contrā Jus vel utilitat.
publ. Huc pertinet etiam receptissima ac utilissima illa
clausula: rebus sic stantibus, utpote quæ omnibus acti-
bus tacite inesse censemur, arg. l. in confirmando 8. &
l. utilitatem. 10. ff. de confirmingo Tutori &c. Accedit
hic etiam clausula in Rescriptis aut corundem inter-
pretatione expresse vel tacite occurrens: (jam dictæ
non absimilis) Salvo Jure Tertiij: Intentio enim aut mens
Principis Summi nunquam censemur talis esse, quod
velit

2

velit Juri alteri quæsito derogari , cum ejusdem Rescripta Justitiæ debeant esse conformia , & salvâ atque iſlæſo Jure Tertijs , id est , ita sint interpretanda , ne cui inferatur injuria , nullaque læſio exindè emergat , quod imprimis secundò illò Juris præceptò generali: *Neminem ledere* , inculcatur . Quapropter illa *Rescripta* , quæ alias vocantur *moratoria* , nonnisi præstitâ fidejussione idoneâ sunt valida . Sic enim in Jure nostro expresse constitutum fuit in *l. Universa Rescripta s. C. de Precib. Imperat. offerend. &c.* cujus verba ipsamet , purius ex ipso fonte LL. bibantur aquæ , apponere placet : *Universa Rescripta* , quæ in debitorum causis super præstandis dilationibus promulgantur , non aliter valent , nij fidejussio idonea super solutione debiti præbeatur . Atque hæc fidejussio adeò necessaria est , ut juxta quorundam non exiguae nota J. Ctorum sententiam , ne quidem à Principe Summo eandem remitti possit , ne Rescriptum fiat creditoribus captiosum , sicque damnum & nocivum . Ex multis adduco *Carpzovium in Asylō generali debitorum c. 4. n. 29.* necnon *alios DD.* quos ibidem refert & sequitur , nempe *Finckelthysium* & *Wurmferum* . Eatenuis enim justitiæ congrua sunt talia Rescripta Gratia , sive beneficia Summi Principis , quatenus procedunt sine aliorum defraudatione & injuria . Unde omnium dilationum id commune est , ut non aliter indulgeri debeant supplicantibus , quam ut maneant indemnes , contra quos impetrantur , quibus hæc de causa incumbit cautionis præstatio , juxta ea quæ tradit *Mevius in Discussione levaminis in opere Debitorum. c. 7. n. 116. p. m. 526.* Sic igitur prædicta clausu-

clausula, salvô Jure Tertij, etiam in *Rescriptis Summi Principis* interpretandis ac exequendis suum sortiri debet effectum, & proinde omnino attendi debet. Id quod ex hactenus adductis rationibus juris nemini obscurum esse potest, quibus porro suffragatur communis DD. sententia præterea docens, quod Princeps etiam Summus, alteri *Jus suum* non auferre possit. Hocque assertum communi Jurisprudentum consensu firmatum, nemine discrepante, uti respondit *Ziberius Decianus in Consil. 25. n. 8. & seqq. vol. 1.* quem refert & sequitur *Vultejus in Consil. 35. n. 153. vol. 3.* ubi *Menochium* pluresque alios consentientes allegat. Neque hic obstat, quod Sacrilegij instar sit disputare vel dubitare de potestate Supremi Principis 1. *Diputari.* 2. *C. de Crimine Sacrilegij.* Quamvis enim regulariter hoc verum sit, tamen suas patitur exceptions instar aliarum regularium. Excipitur enim non immerito hic casus, si aliquo Principis Summi facto alicujus Tertij Jus lñdatur, tunc de voluntate & scientia Principis disputare interdictum vel illicitum non est; ceu notabiliter & expresse traditum. *L. 1. Obser. præf. 14. n. 6.* Etenim is aliquando male instruitur, nec unquam præsumitur, Principem aliquid contra Jus & Justitiam disponere voluisse; quia vult, omnes suos actus regulari à Justitia Poli & Fori. Poteſt quidem Princeps Summus contra Jus disponere, adjectâ clausulâ, non obstante, sed in dubio non præsumitur hoc velle, sicque non de ejusdem potestate, cuius intuitu solitus esse legibus creditur, sed potius de ejusdem voluntate dubitatur, quod Princeps non præsumit quid dispositurus contra jus; & si hoc fecerit, præsumi-

2

fumitur id, per importunitatem supplicantium concessisse. *Gail.* d. l. n. cit. Quamobrem suprà dicta hactenusq;
deducta clausula: *salvo Jure Tertiij*, semper ipso effe-
ctu tacite inesse censetur Rescripto, quamvis illa ex-
pressis verbis eidem non sit inserta, *Cephal.* in *Consil.*
186. num. 33. vol. 2. *Reusnerus* in *Consil.* 1. num. 173.
vol. 1. *Bruckmann* in *Consil.* 39. num. 76. quos allegat
& sequitur *Vultejus* in *Consil.* *Marpurg.* 35. num. 159.
vol. 3. Cùm verò hæc nondum sufficient de Clausulis Re-
scriptorum, porrò observandum est, dari adhuc alia
am, quæ vocatur: *ex certa Scientia*, & tam efficacem
esse, ut ea tollat subreptionem, obreptionem, & alias
prætensionem defectum intentionis Imperatoris rescriben-
tis, *Schraderus* in *Consil.* 46. num. 34. vol. 2. Inducit
etiam eadem clausula, Rescripto si fuerit addita, præ-
sumptionem plenitudinis potestatis, quia habet vim clau-
sula derogatoria. *Gail.* L. 2. Obs. Praet. 56. n. 14. Et
enim plenitudo potestatis tam late se extendit, ut eo
in casu, quando Princeps aliquid vult ex certa scientia,
nemo possit ei dicere, cur ita facis? *Gail.* Lib. d. n. 15.
Hinc nulli permittitur de eo, quod sic à Rege, alio-
ve Summo Principe gestum vel factum est judicare.
Schrader. in *Consil.* 23. num. 96. Verum enim verò, et si
prout demonstratum est, suprema sit Principis pote-
stas. tamen intrà limites Justitiae debet esse conclusa,
& quanto major est Principis potestas, tanto magis æ-
quitatem exigit, & justitiam, quæ imprimis colenda
est. *Gail.* L. 2. Observ. Praet. 56. num. 1. Etenim Prin-
ceps à DEO constitutus est, ut faciat Judicium & Ju-
stitiam. *Idem* d. l. n. 11. Sic igitur *Imperatoriam Maje-
sta-*

C

sta.



Statem, inquit Imperator Justinianus in Proœmio Institut. non solum armis decorant, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumque tempus & bellorum & pacis recte possit gubernare: Quapropter, si fines & terminos justius, ceu limites sibi praefixos, transgre-
di non vereatur, peccat contrà ordinationem Dei & Principis nomine indignus est c. scelus 2. qu. 1. Hoc enim Ipsi concessum non est, nec id facere potest, ut LL. contemnat. Nam quæ laudent pietatem, existima-
tionem, verecundiam nostram, & generaliter quæ contrà bonos mores sunt, nec facere nos posse cre-
dendum est per text. special. & expressum in l. filius. 15.
ff. d. Condit. Institut. Tanta sanè est authoritas Juris, ju-
stitia & legum ut nemo absolute iisdem superior esse censeatur? Id quod satis aperte colligitur ex I. Leges sacratissima. 9. C. de Legib. &c. cuius verba apponi omni-
nino merentur: *Leyes sacraissime, que constringunt omnium vitas, intelligi ab omnibus debent: ut univer-*
si prescripto earum manifestius cognitio vel inhibita de-
clinet, vel permitta secentur. Si quid vero in iisdem
legibus latum fortassis obscurius fuerit, oportet id ab
Imperatoria interpretatione patefieri, duriamque le-
gum nostræ humanitati incongruam emendari. Sic itaque Summus Princeps leges saltē interpretari aut declarare non vero abrogare, aut tollere potest & debet, nisi contrarium suadeat urgens necessitas, aut alia maximè ardua gravissima & rationabilis causa.

TH. X.

Explicatis nunc Causa formalī, & huc pertinen-
tibus

2

tibus potissimum clausulis (quantum pagellarum angus-
tia & scopus praesulius permittit) deductis & expositis,
ad Causam *Materialem* me jam accingo, ea vero in
omnibus illis negotiis consistit, quae licita & proinde
concessione Imperatoriæ non indigna sunt. Primarij
autem & præcipue lites hic occurunt & negotia con-
troversa, utpote quae ut plurimum materiam suppeditan-
t Rescriptis Summi Principis. Id quod manifestis-
simum esse, concluditur ex 1. Quoties 2. C. de Precib.
Imperat. offerend. Sc. ubi sequentia leguntur: *Quo-*
ties Rescripto nostrō moratoria prescriptio permittitur,
aditus supplicantī pandatur. *Quod autem totius ne-*
gotii cognitionem tollit, & vires principalis negotii exhau-
rit sine gravi partis alterius dispendio convelli non potest,
nec prescriptionis igitur peremptoria relaxatio petatur. Ex-
indè satis clare patet per Rescripta eam quoque con-
troversiam vel litem terminari, quae inter debitores
supplicantes & Creditores, utpote quorum jus sine eo-
rum gravi dispendio sic convelli nequit, agitur, &
proinde talis negotii controversi cognitionem tollit. Sic
igitur manifestissimum est, Rescripta Summi Principis
plerumque occupari circa causas forenses, vel eas, qua-
rum Disceptatio & decisio in foro fieri solet. Hinc diver-
sa esse censetur ratio illarum, quae per transactionem
jam satis ac finite sunt. Egregie id comprobat, &
confirmat textus express. in 1. *Causas* 26. C. de transact.
ubi haec extant verba: *causas vel lites transactionibus*
legitimis finitas Imperiali Rescripto resuscitari non opor-
tet. Adde enim transactio finem litibus imponit, ut
instrumenta & probationes nil contrà eandem efficere

possint, siveque sub praetextu illorum, quamvis noviter
repertorum, transactio retractari non potest. Hinc
talia documenta quae aliis vim probandi indubie ha-
bent, adversus amicabilem compositionem transigen-
tium jam factam, ulterius non efficacia sunt, sed ipso
jure irrita ac caduca fiunt, etiamsi hoc inter transigen-
tes actum non esset, per text. notabilem in c. l. X.
de transact. Gail. L. 2. Obser. præf. 70 num. 8. Tan-
te siquidem est efficacia & authoritatis transactio! Ac-
cedit manifesta ratio paritatis, quia Sententiae vel Rei
Judicatae æquiparatur transactio. Non minorē enim
authoritatem transactioñum, quam rerum judicatarum
esse rectā ratione placuit: Siquidem nihil ita congruit
fidei humanae, quam ea, quae placuerant custodiri, sic di-
sertē traditur in l. non minorem. 20. C. de Transact.
Quamobrem Rescriptum Summi Principis contrā senten-
tiam, qua transiit in Rem Judicatam, non valeat,
sed planè inefficax esse censetur, etiamsi clausula, non
obstante tali sententia, adjecta fuerit. Gail. L. 2. Obs.
præf. 58. num. 6. ubi singulare ac notabile præjudi-
cium atque sic decisum fuisse in Camera Imperiali,
quod nempē Rescriptum Principis contrā Rem Judica-
tam non valeat, refert. Deinde huc pertinent ea ne-
gotia, quae à clementia Summi Principis unicē depen-
dēnt ac proficiuntur, sive beneficia, hæc consimili-
ratione materialiter ingrediuntur, Rescripta Summi
Principis. Hucque allegari meretur notabilis textus,
qui existit. in L. si qua C. de divers. Rescript. &c. si qua
beneficia, definiunt ibidem Imperatores, personalia si-
ne die & consule fuerint deprehensa, authoritate careant.

Ex

2

Ex his verbis luculenter constat & solidè concludi potest, quod Rescripta in Jure nostro vocentur etiam beneficia. Id quod pariter inculcatur in proximè sequente l. *Sacrilegii. s. C. de diversi. Rescripte. &c.* quam etiam hic cùm apprimè meo proposito inserviat, apponere placuit: *Sacrilegii instar est, super quibuscumque administrationibus vel dignitatibus promulgandis, dirinis obviare beneficiis.* Ex dictis & hucusque deductis igitur evidentissimè elucescit, *Rescripta Principis Summi ratione materiae objectivæ non esse uniformia, sed duplia, sive bipartita prout hactenus demonstratum fuit.*

TH. XI.

Proponenda est è causarum serie adhuc causa *Finalis Rescriptorum Summi Principis*, quæ est vel administratio Justitiae, aut Gratiaræ concessio, cùm per varia considerandi ratione siveque diverso respectu illa sint vel Gratiaræ aut Justitiae, ceu ex anterioribus innoteat. Huc pertinent Promotoriales, sive hujusmodi Rescripta, quæ pro administranda Justitia intra certum tempus decernuntur in Camera Imperiali, teste *Gail. L. 1. observ. pract. 28. n. 7.* cui etiam suffragatur hodierna praxis forensis & quotidiana experientia in supremis dicasteriis sèpius obvia. Denique non defunt legalia fundamenta id egregiè ac solidè coprostantia, è quorum seriè caput quasi extollit, sive palmarium hic suppeditat argumentum memorabilis ille text. *Juris*, qui habetur in l. ult. *C. de Relation.* cuius verba sequentia, annotatione peculiari dignissima adduci merentur: *Si quando ratio aut necessitas est in negotiis, nostra inquiunt in d. l. Imperatores Judicia re-*

quirendi expectandique *Responsa*: omnes omnino causas relationis series comprehendat, ut recitatâ consulta-
tione, que ita est dirigenda propemodum actorum re-
censione non sit opus, actis etiam necessario sociandis.
Quibus verbis quid manifestius dici potest? Cum enim
Judicia Summi Principis sive ejusdem *Responsa*, quæ,
ceu supra fuit deductum, nil aliud sunt, quam *Rescripta*
Imperatoria, requirantur & expectentur in talibus ne-
gotiis, quæ ex relatione Judicium inferiorum ad Superio-
rem facta, & actis Judicialibus sunt determinanda &
djudicanda; Sanè facile exinde colligitur scopum aut
finem *Rescriptorum* Summi Principis ut plurimum dirigi
ad Justitiae administrationem ut nempe eadem promo-
veatur, ceu jam commemoratum fuit. Facit hoc
etiam insignis ille locus in *i. ea que. 3. C. Commissari.*
Epiſt. Programmat. subscript. authoritat. Rei Judicatae
non habere. ubi ita Imperator loquitur: *ea que causâ*
cognitâ statuuntur, subscriptionibus revocari non posse,
sæpè rescriptum eſt. Ex his igitur quæ dicta sunt, satis
superquæ liquet, quod *Rescriptorum*, de quibus in
hac Dissertatione agitur, causa Finalis primaria sit ad-
ministratio Justitiae, quamvis negari non possit, etiam
Gratiam Summi Principis aut Imperatoris per *Rescripta*
concedi, ceu supra jam monitum fuit.

TH. XII.

Denique varii ac multiplices effectus *Rescriptorum*
Summi Principis sunt subjungendi, ad quos pertinet pri-
mo singularis illa authoritas, quæ iisdem tribuitur ac
talis tanteque est, ut sacrilegii instar esse censeatur, de
corun-

2

eorundem potestate & viribus dubitare , ceu expresse
sancitum in *I. Sacilegii instar. s. C. de diversi. Rescript.*
&c. Vim legis quidem regulariter non habent Rescripta
nisi inter partes litigantes & acquiescentes , prout iti-
dem expressis siveque clarissimis verbis docetur in *I.*
Quæ ex relationibus 2. C. de LL. &c. Sic igitur irres-
tigabilis lex est omnino superior Rescriptis , utpote quæ
revocari ac cassari omnino possunt , præsertim si per
falsa narrata impetrata , aut contra Jus elicita fuerint,
ceu jam demonstratum fuit in antecedentibus . Secun-
dò huc refertur Juris controversi determinatio ac decla-
ratio Imperatoria . Etenim factum non solet supplere
Summus Princeps , sed Jus , ubi expresso jure destitu-
imus aut si Judex inferior de intellectu legis dubitet.
Brunnem. in Comment. ad Cod. in I. si quis I. de Relat.
n. 3. p. m. 900. Quapropter inter æquitatem , jusque
interpositam interpretationem , nobis Solis & oportet &
licet inspicere , uti rescripsit Imperator CONstan-
TINUS in *I. inter. 1. C. de LL. & Constitut. Princip.*
&c. non verò Jus controversum tantum , sed etiam fa-
ctum litigiosum hoc modo deciditur , siveque enascitur
Tertius Rescriptorum dictorum effectus , qui est litis in
facto consistentis decisio . Id quod exinde patet , quia
per Relationem ad Summum Principem factam , qua
procul dubio Rescripta elicuntur vel impetrantur , sed
etiam factum , præsertim si fuerit ex actis notorium pro-
poni potest ac debet , arg. *I. si quando 3. C. de Relation.*
I. super delictis 2. C. b. T. cum hoc itidem referri ac
discuti debeat . Quarto huc pertinet liuis vel processus
Judicialis ordinatio , de qua imperator CONSTANTI-
NUS

NUS expresse in l. si quis i. C. de Relation. sequentibus
rescripsit verbis: Si quis Judicium duxerit referendum,
nihil inter partes pronunciet, sed magis, super quo hæ-
sitandum putaverit, nostram (nempe Summi principis)
consulat scientiam. Quinto effectibus Rescriptorum
Summi Principis non immērito, cum Rescripta (ceu
supra jam fuit dictum) duplicita sint, nempe non saltem
Justitiae, sed etiam Gratiae, annumeratur legitimatio ceu
Angulare beneficium clementiae Imperatoria, cujus
ulterior deducio nunc plane supervacanea esset. Sexto
hic notari meretur Privilegiorum concessio; illa enim
pariter per Rescripta Summi Principis impertienda sup-
plicantibus attestante hoc imprimis experientia quoti-
diana. Accedit quod omnis Gratia Principis videatur
fieri hoc paſto, ut inde consciatur scriptura (sive Re-
scriptum) Consil. Marpurg. 16. n. 20. Vol. I. Hinc con-
simile Mandatum Regis, si continet Gratiam, debet pro-
bari per scripturam, cit. Consil. Marpurg. 16. n. d. Vol. alleg.
Denique Septimo agmen hujus partitionis claudit crimi-
nis remissio, quæ præsupponit jus aggratiandi. Huc
que resperisse videntur Imperatores in l. Rescripta 7.
C. de Precib. Imperat. offerend. &c. ibidem enim expresse
dicitur, quod per Rescripta crimen quandoque indul-
geatur supplicantibus; remissio enim poenarum non
nisi Summo Principi competit, quoniam derogat legi
Consil. Marpurg. 27. n. 58. cui derogare is, qui inferior
est Principe, non potest, quantumvis Jurisdictionem o-
mnimodam habeat. Consil. Marpurg. d. l. n. 59. Sic
igitur talis ac tantus actus Gratiae vel indulgentiae in
poenis remittendis singulariter & unicè dependet à
pleni-

2

plenitudine potestatis vel supereminente dominio Principis.

TH. XIII.

Tandem de Rescriptorum *contrariis* erit agendum. Hic occurunt primariò & potissimum exceptiones Sub-ac obreptionis suprà uberioris proposita, sat fusè explicata, ut uberior explicatio hic supervacanea videatur. Sunt verò tales, quod breviter addendum, insignis efficacia, atque sic comparatae, ut possint contra cuncta Principis summi Mandata, nec non adversus Rescripta ejusdem opponi. Omnia enim Principis *Rescripta*, omnia ejus Mandata, etiam *sine clausula* tacita hanc vi ipsa continent conditionem, si preces veritati sint conformes. *Gail. Lib. I. Observ. Pract. 14 n. 2.* Id quod adeò verum est, ut eapropter non indecorum ac iniquum fuerit, prædictam exceptionem omnino attendi, & proinde ad probationem esse admittendam. Hac de causa enim in Judicio Cameræ Imperialis Supremo, eadem, si non fuerit notoriè calumniosa, admittitur, & post factam probationem cassatur, etiam Mandatum *sine clausula*, ac impetrans ad expensas condemnatur: uti judicatum esse in causa Dettingen contra Dettingen/ item in causa Trier contra Trier referente *Gail. in cit. L. I. Observ. Pract. 14. num. 3.* Hic igitur notari merentur, hujusmodi Mandata *sine clausula* atque Rescripta non habere parendi necessitatem, sed admittere exceptiones Sub- & oprehensionis, utpotè quæ potissimum fundatur in prædicta conditione tacita, quæ tantoperè consideranda, & adeò efficax est, ut virtute ejus.

D



ejusdem poena in jam commemoratis Mandatis sine clausula, et si iis alias absolute parendum sit, comminata tantisper in suspense sit, donec de veritate vel falsitate narratorum doceatur, *Gail. L. 1. de Pace publica. c. 5. n. ult.* Ceteroquin subreptio illa ex qua jam dictæ exceptiones profluunt, si saltem in una parte Rescripti continetur, non vitiat neque invalidum idem reddit in aliis, cum utile per inutile vitiari non possit, ac separatrix separata est ratio, *per notiss. Jura.* Porro annullantur Rescripta Summi Principis per exceptionem *Rei Judicatae*, quippe ea pariter obstat & recte opponitur Rescriptis. Etenim ea non tam efficacia sunt ut Sententiam judiciale tunc infirmare, multò minus abolere possint; Hinc non transeunt in Rem judicatam, cum sint sine prævia causæ cognitione lata & ad instantiam unius partis saltem impetrata, seu Decreta extraordinaria, ideoque iisdem quocunque tempore etiam post decendum contradici potest. *arg. 1. prolatam. 4. C. de sentent. &c interlocut. &c. arg. 1. Rescripta. 7. C. de Precib. Imperat. offerend. &c.* Secùs vero obtinet in Rescriptis, quæ fuerunt partibus publicata ex præcedente causæ cognitione, saltem summaria; nam, cum sint instar sententiae judicialis, in Rem judicatam transire, si suspensivum remedium interpositum non est, neutiquam dubitandum est, *Carpz. P. 1. Confl. 26. D. 18. 19. Nicolai in process. Judiciario. cap. CXI. p. m. 376. 377.* Unica restat inter Contraria huc pertinentia evolvenda ac succinctè proponenda exceptio scil. *transaktionis*, hæc itidem Rescriptis Summi Principis refragatur, quia illa finit lites, non tantum motas & præteritas

2

teritas, sed etiam futuras aut movendas. Schrader. in
Confil. 46, n. 16. Vol. 2. Neque enim lites transactione
jam sopita per Rescripta Summi Principis resuscitari
possunt. I. Causas. 16. C. de Transact. quippe transactio
ad hoc est inventa, ut finis litibus imponatur, Jura
autem in quacunque causa controversa finem litium
desiderant. Gail. Lib. 2, observ. pract. 70, num. 16. Sic
igitur exceptio transactionis Rescriptis recte opponitur
eorumque vim & effectum suspendit, imo tollit, ea
enim contra Rem judicatam, atque adversus transactio-
nem, ut potè quæ in Jure Rei Judicatæ equiparatur,
non valent, nec effectum sortiri possunt.

TH. XIV.

Affinia vel Consentanea Rescriptis Summi Princi-
pis sunt leges, quod enim Principi placuit legis habet
vigorem; quocunque igitur Imperator per epistolam &
subscriptionem atque sic per Rescriptum statuit, vel cognos-
cens decreverit, legem esse constat, per text. express.
in I. quod Principi. I. pr. & §. I. ff. de Constit. Princip.
Huc pertinent etiam Constitutiones Principum, per
quas beneficia Imperatoris, quæ ab Ejus indulgentiâ
proficiuntur, conceduntur, prout expressè dicitur
in I. Beneficium. 3. ff. de Constitut. Princip. Porro in-
ter affinia sunt referenda Mandata Summi Principis, quæ
vel cum vel sine clausula decernuntur. De his genera-
liter notandum, quod ea tunc decernantur, quando
casus omni Jure prohibitus est, vel tale occurrat fa-
ctum, quod nullò Jure justificari potest. Gail. Lib. I.
Observ. Pract. 13. num. 3. Porro hujusmodi Mandata

D 2

sunt

sunt valida, & proinde concedenda sunt in iis casibus, ubi
periculum in mora positum est, & maximoperè urget
ob præsentissimam necessitatem, itemque ubi subest ti-
mor armorum, vel si casus concernat utilitatem publi-
cam vel damnum immineat irrecuperabile. *Gail. d. l.*
num. 34. Prædictis verò mandatis haut absimilia sunt
Rescripta Summi Principis, de quibus hactenus actum
fuit, utpotè quæ consimilem habent authoritatem & fe-
rè per omnia conveniunt cum illis, nisi quod in quocon-
que Rescripto contenta esse censeatur clausula: *si pre-
ces nitantur veritate;* hæc autem vel expressè adden-
da, aut saltem subintelligenda est. De qua cùm su-
pra jam actum fuerit, amplius agere nolo. Cætero-
quin ob jam dictam singularem rationem excipiuntur
à classe Descriptorum Mandata sine clausula jam com-
memorata, prout dedit pluribus *Brunnem, in Com-*
ment, ad Cod. in l. 7. de divers. Rescript. num. 3. Deni-
que huc meritò referuntur Decreta Cæsarea, quippe
ea aliquatenus sunt similia ac conformia Rescriptis Sum-
mi Principis. Hucusq; igitur proposita sufficiant hâc
vice, quia plura addere non licet ob temporis
angustiam. Finio igitur & immensas DEO T. O. Max.
ago gratias pro sua benignissima mihi hîc speciali-
ter concessâ Gratia, id unicè simul vovens aut
exoptans: ut sit in cunctis

SOLI DEO GLORIA!


* (o) *

ULB Halle
002 716 64X

3



S. 6.



B.I.G.

Black

16.

1708/3

27-9-33

DISPUTATIO JURIDICA
De

RESCRIPTISSUM-
MI PRINCIPIS AD MA-
GISTRATUS INFERIORES,

vulgò
Bon Kaiserlichen Befehl Schreiben,
Quam

DIVINA AUXILIANTE ac FAVENTE GRATIA
RECTORE HUJUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO

PHILIPPO WILHELMO,
S.R.I. COMITE de BOINEBURG,

SACRAE CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO &
CAMERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLE-
SIARUM, MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CA-
NONICO CAPITULARI SENIORE,
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CON-
SILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORII que
ERFURTENSIS PRO-PRINCIPALE
DOMINO SUO GRATIOSISSIMO &c.

APPROBANTE MAGNIFICO JCTORUM
Collegio, in Universitate Hierana Electorali

SUB PRÆSIDIO

VIRI CONSULTISSIMI

Dn. JOHANNIS HENRICI Meiers/
Regim. Elect. Consil. Profess. Decret. Publ. p. t. Facult. Jurid. Dec.
& Sen. nec non Judicij Elect. Asses.

Publicæ Eruditorum Disquisitioni submitte

Albertus Christophorus Giebel

Norimbergensis, Author & Respondens.

Die 4. Junij 1708. horis confuetis.

ERFFURTI, Typis Groschianis, Acad. Typogr.

KENFRIED
UNIVERS.
ZVHALIE

β. 24.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-308820-p0037-8